

# MISSA

Ad postulandam gratiam benè moriendi.

## INTROITVS.



Illumina oculos meos,  
ne umquam obdormia  
in morte, ne quando di-  
cat inimicus meus: Præ-  
valui adversus eum.

*Psalm.* Usquequò Domine oblivis-  
ceris me in finem? usquequò avertis  
faciem tuam à me? ¶ Gloria Patri.  
Illumina.

## Oratio.

O Mnipotens, & misericors  
Deus, qui humano generi, &  
salutis remedia, & vitæ æternæ mu-  
nera contulisti: respice propitius nos  
famulos tuos, & animas resove quas  
creasti, ut in hora exitus earum, abs-  
que peccati macula tibi Creatori suo  
per manus sanctorum Angelorum  
repræsentiri mereamur. Per Domi-  
num nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli  
Apostoli ad Romanos.

Fratres, Nemo nostrum sibi vi-  
vit, & nemo sibi moritur. Sive  
enim vivimus, Domino vivimus:  
sive morimur, Domino morimur.  
Sive ergo vivimus, sive morimur,  
Domini sumus. In hoc enim Chris-  
tus mortuus est, & resurrexit: ut &  
mortuorum, & vivorum dominetur.  
Tu autem quid judicas fratrem tuum?  
aut tu quare sperni fratrem tuum?

Omnis enim stabimus ante Tribu-  
nal Christi: Scriptum est enim: Vivo  
ego, dicit Dominus, quoniam mihi  
flectetur omne genu: & omnis lin-  
gua confitebitur Deo. Itaque unus-  
quisque nostrum pro se rationem  
reddet Deo.

*Graduale.* Si ambulem in medio  
umbræ mortis, non timebo mala:  
quoniam tu tecum es, Domine.  
¶ Virga tua, & baculus tuus ipsa  
me consolata sunt. Alleluia, alleluia,  
¶ In te Domine speravi, non con-  
fundar in æternum: in justitia tua  
libera me, & eripe me. Inclina ad  
me aurem tuam, acceler, ut cri-  
pias me. Alleluja.

*Post Septuagesimam, omisso Alle-  
luia, & Versu sequenti, dicitur.*

*Tractus.* De necessitatibus meis  
eripe me Domine. Vide humilita-  
tem meam, & laborem meum, &  
dimitte omnia peccata mea. ¶ Ad  
te Domine levavi animam meam:  
Deus meus in te confido, non cru-  
bescam: neque irrideant me inimici  
mei. ¶ Etenim universi, qui te ex-  
pectant, non confundentur: confun-  
dantur omnes facientes vanam.

*Tempore Paschali omittitur Gra-  
duale, & ejus loco dicitur Alleluia,  
alleluia. ¶ In exitu Israel de Aegy-  
pto, domus Jacob de populo barbaro,*

Alle-

Alleluia: Paratum cor meum Deus,  
paratum cor meum: cantabo, &  
psallam tibi gloria mea. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii  
secundum Lucam.

*Lucas* 21.  
*34.* **I**N illo tempore, dixit Jesus dis-  
cipulis suis: Attendite vobis, ne  
forte graventur corda vestra in cra-  
pula, & ebrietate, & curis hujus vi-  
tae: & superveniat in vos repentina  
dies illa: tanquam laqueus enim su-  
perveniet in omnes, qui sedent super  
faciem omnis terrae. Vigilate itaque,  
omni tempore orantes, ut digni ha-  
beamini fugere ista omnia, quae fu-  
tura sunt, & stare ante Filiu hominis.

*Offertorium.*

In te speravi Domine: dixi, tu es Deus  
meus: in manibus tuis tempora mea.

*Secreta.*

**S**Vscipe, quæsumus Domine, hos-  
tiam, quam tibi offerimus pro

**A**d pias, enixaque preces Serenissimi Magni Ducis Hennuriæ, Sanctissimo Domino Nostro  
porrectas, à Sanctitate suâ ad Sac. Rituum Congregationem remissas, & ab Eminentissimo,  
& Reverendissimo Cardinali Ottobono relatas; Sac. Rituum eadem Congregatio  
suprascriptam Missam pluries diligenter examinatam, correctamque, ac revisam pro Ecclesia uni-  
versali approbavit, ponendam in Missali post Missam pro Remissione Peccatorum, & in Rubricis  
Generalibus in Tit. de Coloribus Paramentorum, sub colore violaceo, ac præterea in Gradualibus  
ad Cantum Chori, in eodem Canti, & Tono, qui in antiquis habetur feria quarta Dominicæ prime,  
& Sabbato Dominicæ tertie in Quadragesima, & in Dominicis quarta, sexta, decimasexta, vi-  
gesima, & vigesima prima post Pentecosten: si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die 20.  
Martii 1706.

Et facta deinde per me Secretarium de predictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sancti-  
tas sua supradictis omnibus annuit, ut hoc præsentim tempore, quo plurimi repentine mortis casus  
tam in Vrbe, quam alibi contigerunt, petatur à Deo gratia bene, pièque moriendi. Die 27. Iu-  
dem mensis Martii, & Anni 1706.

G. Card. Carpineus Præf.

Locus  Sigilli.

extremo vitæ nostræ: & concede, ut  
per eam universa nostra purgentur  
delicta; ut qui tuæ dispositionis fla-  
gellis in hac vitâ atterimur, in futu-  
rà requiem consequamur æternam,  
Per Dñm nostrum Jesum Christum.

*Communio.* Domine, memora-  
bor justitiae tuæ solius: Deus, docui-  
ti me à juventute mea, & usque in  
senectam, & senium, Deus, ne dere-  
linquas me.

*Postcommunio.*

**Q**Væsumus clementiam tuâ,  
Omnipotens Deus, ut per  
hujus virtutem Sacramenti  
nos famulos tuos gratia tuâ confir-  
mare digneris: ut in hora mortis  
nostræ non prævaleat contra nos  
adversarius, sed cum Angelis tuis  
transitum habere mereamur ad vi-  
tam. Per Dominum nostrum.

*Conclusio. Auctio finalis.*

B. Inghirami. Sac. Rit. Congr. Secr.